

Salesianum

Recensiones

ALBRECHT Michael von

Ad scriptores Latinos. Epistulae et colloquia. Cari Classici. Lettere e dialoghi. Traduzione poetica e prefazione di Aldo SETAIOLI, Graphe.It, Perugia 2022, pp. 184, ISBN 978-8893721578.

Michael von Albrecht, virum Latinissimum esse atque principem inter studiosos Linguae Latinae fovendae, nemo eruditus potest infitari. Hanc ob rem magna cum laetitia salutavimus volumen recentius editum q.i. *Ad scriptores Latinos. Epistulae et colloquia* in quo poeta quattordecim carmina Latine exarata versibus heroicis scitissime panxit. In quibus carminibus antiquos scriptores Latinos eosque praestantiores est allocutus. Ex quibus alios ad colloquia serenda evocavit, aliisque litteras dedit. Aldous autem Setaioli, praeclarus Litterarum Latinarum magister, qui multum admiratur Musam Michael eiusque doctrinam amplissimam, perbelle vertit carmina in sermonem Italicum versibus usus hendecasyllabis. Quod tanta interpretandi arte navavit ut nescires utrum Latinos an Italos versus quidem ornatissimos laudibus extollereres, utroque dignissimo auctore. Michael noster, cum monumenta Litterarum Latinarum penitus exploravisset, quam sapientiam immortalem veteres nobis tradiderunt mente comprehendit et animo. Lectores ergo, carmina iucunde pervolventes eorumque res animo attento perpendentes, comparaverint illud thesaurum quem Marones, Tulli, Nasones aliique praebent, cognitionem rerum divinarum humanarumque et artem vivendi rectissime. Cicero, orator, sophos, magistratus quomodo res publica sit regenda docet; Plautus, iuxta quem serietas ipsa siet iocus, omnium cachinnos commovet; Lucretius, physicus qui egestatem Linguae Latinae locupletavit, pravas superstitiones numinibus minime dignas profligat; Catullus, cum quaerat verum fidei coniunctum, tecum peregrinari videtur; Vergilius poeta prorsus aeternus praepollet et summus, officia pietatis gravissima inculcat et animis instillat; Horatius sua elegantia et aurea mediocritate animos serenat sermone lucidissimo ac varietate metrorum; Livius, cum exempla virtutum exhibeat, quae sint sanctissimae leges pacis semper tuendae constituit; Ovidius, poeta, immo pictor et statuarius, versibus imagines fingit; Lucanus tragicus, libertatibus ademptis, protestatur nullam caelestibus esse sollicitudinem hominum eorumque rerum; Seneca adhortatur discipulos uti discant fieri semetipsos magistros; Quintilianus, magister magistrorum, monet ut vir dicendi peritus bonus fiat neque contemnat pueros tenellos instituere; Tacitus quae turpissima pataverint Caesares, imperii potiti, voluptatibus autem servi, narrat; Apuleius per allegoriam quid sit iter in vita conficiendum exponit; Augustinus, semper philosophus et rhetor egregius, primus de vita sua eiusque animi sensibus intimis loquitur ut cor ad cor loquatur. Placet et vehementer qua cura poeta impensius sit usus verbis ipsis ipsorum scriptorum quos alloquitur adeo ut, si legas von Albrecht carmina, quodammodo legas simul et antiquorum scriptorum opera. Michael insuper noster, qua est doctrina exquisita necnon uberrima, etiam atque etiam monstrat quantam vim scriptores Latini habuerint super Litteras recentiores gentium Europaensium adeo ut istas intel-

ligere requires nisi illos medullitus cognosceres utque cultus civilis veterum scriptis eorumque prudentissimis monitis inniteretur et corroboraretur. Insuper quaedam sententiae antiquissimae identidem inveniuntur in carminibus quae volumen complectitur: bella mala atrocissima eaque sane repudianda, fides coniugalitatis dulcissima, mirabiles mulierum virtutes, verum est quaerendum et iustum et bonum, Deo sic iubente, Deo semper diligendo. Paucis hoc est adstringendum de disciplina qua, si carmina Michael legamus, instituimur: studia Humanitatis homines faciunt valde meliores. Quapropter libellus est commendandus potissimum adolescentibus Italis qui, volentes quoque versionem perpolitam ab Aldo diligentius apparatus, imbuantur pulchrioribus Litteris Latinis neque tanta sapientia priventur quae ad altiora, maiora potiora eos adducat.

Roberto Spataro